

Alte Drucke

**Passio Domi||NI NOSTRI IESV CRI-||sti secundum
Mattæum in de-||cem Homilias diuisa, per D. Ioannem
Chrysostomu[m]. || ... ||**

Johannes <Chrysostomus>

Parisiis, 1547

Homilia LXXX. EX CAP. MATTHAEI XXVI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150600

Homilia Lxxx.

EX CAP. MATTHAEI XXVI.

Citis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Rursus quando de regno, de retributione futura, de æternis cruciatibus differuit, opportuna passionis meminit: ac si diceret, *Quid formidatis propter has temporales afflictiones, cum æterna bona vobis præparata sint?* Tu autem perpende, quo pacto quod eos maxime contristabat, nouo quodam obduxit artificio, tam in superioribus vniuersis, quàm in hoc loco: non enim dixit, quia post duos dies tradetur, sed quia post duos dies pascha fiet: & tunc adiecit, *Et filius hominis tradetur: vt ostendat mysterium hoc esse maximum, diem festum atque solennitatem, quæ ad salutem orbis celebratur. Et quoniam ad consolationem eorum sufficiebat, omnia ipsum præscire quæ passurus erat, idcirco modò nihil de resurrectione subiunxit, ad hæc quia superfluum fuit, cum tot tantæque de ipsa disputauerit, in mentionem eius rursus incidere.* Præterea vt diximus, quia *Exod. 12.* per pascha, prisca illa quæ in Aegypto facta fuerant beneficia, in memoriam eorum reduxit, propterea ostendit passionem suam à mille afflictionibus homines liberaturam. *Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & scribæ, & seniores populi in atrium principis sacerdotum qui dicitur Caiphas, & consilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent & interficerent. Dicebant autem, non in die festo, ne forte tumultus fiat in populo. Vi disti maximam Iudaicarum rerum perturbationem atque corruptionem. Iniquissima penitus aggressuri negocia ad summum pontificem veniunt, vt inde licentiam ac potestatem accipiant, vnde à talibus prohiberi oportebat. Quot autem erant principes sacerdotum? Lex quidem vnicum esse voluit, sed multi tunc erant: vnde liquet, quia lex iudaica dissolui iam incipiebat. Moses enim, vt dixi, vnum iussit esse, quo mortuo, alterum creari voluit, vita cuius exilium eorum terminabat, qui homicidium nolentes commiserunt.*

Aa ij

IN CAP. MATTHAEI XXVI.

Lucæ. i.

Quomodo igitur tunc multi erant: an ne postea facti sunt? & hæc de Zacharia verba Lucas faciens, significauit, dicens: ex vicissitudine ipsum Abiæ fuisse. Principes igitur sacerdotum hic eos dicit, qui de principibus sacerdotum fuerunt. Quod autem consilium ceperunt? Vt occultius eum caperent atque interficeret: vtrumque occultius facere volebāt: populum enim valde formidabant, ac ideo præterire diem festum volebant, dicentes: *Non in die festo.* Nam diabolus ne manifestè passio extaret, ad aliud tempus reuicere ipsam studebat. *Ne tumultus fiat in populo.* Considera valde ipsos timere, non deū, neque ne maius scelus esset in ipsa paschæ celebratione tam tetrum facinus facere, sed homines & tumultum: ira tamen inflammati, posteaquam proditorem inuenerunt, commutati expectare non potuerunt, sed ipsa solennitate ipsum occiderunt: quasi enim cæci cupiditate, furorēque irritati, quamprimum sibi facultas data est, peregerunt. Et quanuis ipse nequitia illorum dispensando in melius utebatur, non tamen hac de causa impuniti euadent, cū mille cruciatus ex voluntatis prauitate mereantur, qui tempore quo noxij etiam soluebantur, innocentem interficere voluerunt, à quo innumera, & immensa beneficia suscepunt, qui propter illos, gentes interea negligere videbatur. Sed o misericordiā atque benignitatem Christi, qui ad tam nequam homines, tamque proteruos, Apostolos etiam suos post resurrectionē suam miserit, ad manifesta pericula, mortemque certissimam! Talia ergo habentes exempla, non dico moriamur pro inimicis, licet hoc quoque haud recusandum esset, verum quoniam infirmiores sumus, illud interea dico non inuideamus amicis, non insectemur liuore benefactores, non dico interim, vt male nobis facientibus beneficia conferamus, quanuis etiam hoc desidero: sed quoniam tardiores ad perfectiorem virtutem estis, saltem vlciscendi animū deponite an fortē putatis scenam esse quandā hæc nostra, & histrionum simulationis plena? Cur contra veritatem pugnat? non temere scripta sunt omnia quæ fecit, quæ certē poterāt eos reuocare: verum vt tu Christi bonitatem imiteris, vt misericordiam eius sequaris. Nam illos vel supinos in terram proiecit, & auriculam seruo restituit, & humiliter eos allocutus est, & mirabilia pendēs in cruce signa edidit, radios solis auertens, lapides findens, mortuos ad vitam

vitam reuocans, uxorem iudicis somnis territans, & in ipso
iudicio inauditâ humilitatē ostendens, quæ non minus quā
signa potuisset eos attrahere, multa etiam prædicens, & in
ipso patibulo crucis exclamās: Dimitte ipsis pater hoc pec- *Luca. 23.*
catum. Sed sepultus quæ non fecit ad salutē ipsorū? sed post
resurrectionem non statim Iudæos vocauit? non peccatorū
dedit remissionem, millēque alia bona contulit? Quid enim
mirabilius, quā eos à quibus crucifixus, atque occisus est
in adoptionem filiorum dei suscipere? Quid hac pia cura,
simul ac providentia maius inueniri vnquam poterit? hac
nos audientes, yelamine faciem operiamus, cum tam pro-
cul nos distare ab eo videamus, quem imitari iubemur. Per-
pendamus quanto discrimine ab ipso differamus, vt nos cō-
demnantes, rectius pœnitentiam agere possimus, nec eos
offendamus, pro quibus animam Christus tradidit suā. Nos
verò nec reconciliari volumus illis, quos vt reconciliet, nec
accerrimum quidem atque infame genus mortis recusauit.
An forsan expensam etiam hoc quandam, & pecuniæ pro-
iectionem putatis, quod de eleemosyna dicere soliti estis,
Cogita quā obnoxius sis, & non solum non retardaberis,
verum etiā rursus ad eos qui offenderūt venies, omnēque
læSIONem sibi dimittes, vt indulgentiæ tibi causa id fiat, vt q̃
tuorū malorū solamen inuenias. Gētiles sæpenumero nihil
magni hac ex re expectātes, facilitate animi hostib⁹ atque
inimicis pepercerūt: & tu qui ad tātā sp̃e hinc profectus
es, retardaris, atque torpescis. Et quod tempore ipso duce
conscient, id tu propter legem non prius conficies, sed ex-
pectabis, vt sine præmio ac laude tua perturbatio hæc ani-
mi extinguatur, quam tu cum magno præmio deponere
potes: præsertim cum certiores simus, si temporis beneficio
indignatio animi ceciderit, nō paruos nobis imminere cru-
ciatus: quia quod in nobis tempus efficit, id mandata dei sa-
cere nequierunt. Si autem inflammari te dices, cum in mē-
tem tibi contumeliarum veniat, repete potius, si quid boni
tibi ab iniuriato collatū est, & quot tu afflictiones aliis in-
tulisti. Detraxit tibi, & oblocutus de te est, expende si quid
simile aliis tu vnquam fecisti. Quomodo igitur veniam im-
petrabis, quam aliis concedere non pateris? At nihil tale,
iniquies, vnquam dixi. Sed audisti libenter alios talia di-
centes, quod absque culpa esse nō potest. Vis discere quā

IN CAP. MATTHAEI XXVI.

magnum bonum sit iniuriarum obliuio, & quomodo sum-
 mopere ea deus placatur? eos qui latâtur, quoniam iuste ab
 eo quidam puniti sunt, non patitur omnino impunè id fa-
 cere. Nam & si iuste illi vexati sunt, sed gaudere te hac de
 causa nō oportet. Vnde propheta multa criminatus, hoc tã-
 dem subiunxit, dicens: Non passi sunt aliquid in cōtritione
 Ioseph. & rursus: Nō exiuit ex domicilio suo ad plangendā
 vnam domum coniunctā ei. Ita quāuis Ioseph, & tribus ex
 eo, & vicini eius ex dei sententia punirētur, sed tamen etiā
 istis condolare non vult. Nā si nos qui nequā sumus, quādo
 in seruū nostrū animaduertimus, cōseruorūque aliquē ri-
 dentem conspeximus, adeo irritamur, vt ad ridentem iram
 deriuemus: quanto magis deus supplicii aliorum latantes
 torquebit? Quod si latandum non est, sed condolendum his
 qui à deo puniuntur: multo magis his condolendū, qui nos
 offenderunt: eius nanque charitatis id signū est, quam deus
 cæteris omnibus antepōnit. Nam sicut illi flores colorum
 preciosissimi sunt, quib⁹ trabea imperatoris tingitur: sic illę
 virtutes magni precij sunt, quibus charitas cōtinetur. Nihil
 porrò charitatē ita cōtinet atque conseruat, vt cōmissorum
 aduersus te peccatorum obliuio. An forsā de altera parte
 nihil deus curauit, an lædentem ad læsum nō misit? Imò ab
 altari ad illum misit, & post reconciliationē ad mēsam quo-
 que vocauit. Sed noli tu hac de causā illū expectare: omnia
 enim sic perdidisti, propterea enim ineffabilis tibi merces
 reposita est, vt illum praeuenias. Nam si rogatus reconcilia-
 beris, non mandato dei, sed studio illius reconciliatus, bra-
 uia illi reliquisti. Quid tu ais, non veteris hominem inimicū
 habere? Nōne sufficit nobis diabolus, sed eiusdem etiam
 generis inimicos attrahimus? O vtinam nec ille bellum no-
 bis indixisset, vtinam diabolū se non fecisset. Nescimus in-
 sani, nescimus quanta in reconciliatione voluptas sit, quā
 in ipsis inimicitiiis intelligere non possumus. Verū quāto
 suauius amare iniuriantē quā odisse, post depositas inimi-
 citias optimè percipies. Cur igitur furore agitados imita-
 mur, alter alterum dentibus lacerantes, & in propriā carnē
 infantes? Audi quāta cura etiā legis tēpore de hoc habe-
 batur: vix inquit recordantium mala in mortem, homo ho-
 mini cōseruat iram, & à deo querit sanari. Atqui oculū pro
 oculo, & dentem pro dente concessit, quomodo igitur in-
 crepat,

Amos. 6.

Ecl. 8.

crepat, atque criminatur? Quia illa non ut alter alteri faciamus permittit, sed ut formidine poenae à similibus abstineamus. Præterea repentinæ istæ iræ sunt, iniuriarum verò memoria animi est perniciem diutius cogitantis. Sed malè me vexauit, inquit. Nunquam ille tantum tibi facere potuit, quātum tu ipse tibi læsionis memoriam retinendo. Præterea non est possibile virum fortem mali aliquid pati. Fingamus enim quempiā liberos & uxorem habentē philosophari, qui etiā detrimētī occasiones habeat multas, magnos sibi pecuniarū aceruos, amicos quamplures, principatum nō parauū, honores denique ingentes: verū tamen Philosophiæ summo opere inhæreat: huic homini fortunæ vulnera cogitatione afferamus. Nequam igitur aliquis damno ei non minū sit, quid igitur ad eū, qui nihili pecunias ducit? Liberos eius interimat alius, quid ad eum qui de resurrectione quotidie philosophatur? Vxorem occidit quispiam, quid hoc ad eum, qui doctus est nō lugere dormiētes? Vituperationem alius ei afferat, quid ad eum qui florem scēni præsentia cuncta existimat? Si vis & corpus eius cædatur, & in carcerem quoq; trahatur, quid ad eum qui semel sibi omnino persuasit, quauis exterior homo corrumpatur, interiorem tamen renouari: & quia tribulatio patientiam efficit? Sic ego hūc hominem nihil mali passurum ostendere pollicitus sum, oratio verò progrediēs, probiorem, atque perfectiorem fieri tentationibus demonstrauit. Nolite igitur in alios vestro detrimento incitari, acumen animi infirmius facientes. Non enim ex prauitate proximi magis, quā vestra hæc cōcitatō malignitate prorumpit. Quapropter si quis cōtumelietur, lachrymamus confestim, atque contrahimur. Si quis nostras rapiat, eodem pacto mouemur, infantium vicem supplentes, quos qui liberiore ex æqualibus sunt, parua, aut nulla plerunq; de causa ad dolorem impellunt, quos tamen si moueri atque dolere viderint, non desinunt mordentes: sin verò ridentes atque paruipendentes, confestim eos omittunt. Sed nos etiam istis sumus amentiores, his de rebus plāgentes, de quibus magnopere ridendum est. Quas ob res vehemēter vos hortor, ut his puerilibus contemptis moribus, ad cælos aspiremus. Viros enim, & viros perfectos Christus nos esse desiderat, sicuti Paulus quoque iubet, dicens: Non sitis pueri mēte, sed malitia paruuli estote. 1. Co. 14

IN CAP. MATTHAEI XXVI.

Infantes igitur secundum nequitiam sumus, & malignitate omiſſa virtutem amplectamur, vt ad æterna perueniamus, gratiâ & misericordiâ domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.

HOMILIA LXXXI. EX CAP. XXVI.

*U*m autem eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier, alabaſtrum vnguenti habens precioſi, & effudit ſuper caput eius recumbentis. Hæc mulier vna & eadẽ apud omnes euangelistas eſſe videtur: meo autem iudicio eadem eſt apud tres, alia verò quædam & mirabilis Lazari ſoror apud Ioannem. Nô autem abſque cauſa lepræ Simonis mentionẽ facit euangelista, ſed vt aperiat, quare cõſidens acceſſit mulier. Nã quoniam immunda quædam res, & abominabilis ægritudo lepra eſſe videbatur: vidit autem curatum Simonem à Ieſu (non enim aliter hoſpitatus apud leproſum fuiſſet) vehementer ſperauit, animæ quoque ſuæ ſordes facilẽ poſſe ab eo detergi. Ciuitatis autem Bethaniæ nomen non ocioſe addidit, ſed vt diſcas ſpõte ad paſſionem accedere. Nam quĩ prius à Iudeis ſibi cauebat, quando maximẽ inuidia exarſerunt, tunc propius ad eos venit, vt circiter duo milia paſſuũ à Hieroſolymis abeſſet. Quæ ex re manifeſtẽ pater diſpenſationis quoque priores fuiſſe reſceſſus. Cũ igitur, vt diximus, apud Simonem mulier ipſum vidiffet, fiducia inde capta, ingreſſa eſt. Nam ſi illa quæ ſanguinis fluxum patiebatur, quanuis talis flagitij ſibi conſcia non eſſet, tamen quoniam naturæ quodam deſectu immunda videbatur, timens ac tremens acceſſit: multò magis timendum iſti erat, quæ cõſcientiæ pondere premebatur. Quocirca poſt multas mulieres, poſt Samaritanam, poſt Cananæam, poſt eam quæ fluxum ſanguinis patiebatur, alias quoque complures, Ieſum adire auſa, quia turpis vitæ cõſcia, factum eſt, vt nec publicẽ, ſed in domo atque priuatim acceſſerit. Cũque cæteræ omnes curationis corporeæ gratiâ adiffent, ſola hæc ad honorem ei conferendum, & animæ incolomitatem acquirendam acceſſit: nulla enim corporis ægrotatione laborabat, vnde meritò de animo atque affectione ipſius erga Ieſum quiſpiam admirabitur: præſertim tamen cum non vt homini nudo afferret honorem, ſed vt maiori cuidam, ſupràque hominem

Ioan. 12.

Luce. 8.